



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Concio Tertia. Textus: Quis putas puer iste erit. Thema: Malus puer,
pessimus vir.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)



IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

CONCIO TERTIA.

Quis putas puer iste erit? Luc. e. 1.

Textus.

Malus puer, & juvenis, pessimus erit vir, ac
senex. *Thema.*

S. Joannes Evangelista mirabilem visionem se habuisse nar- *Exordium.*
rat, Apoc. c. 6. *Ecce equus pallidus, & qui sedebat super*
eum, nomen illi Mors: Syrus legit; Ecce equus viridis, &
qui sedebat super eum, nomen illi Diabolus. Hai in cap.

6. Apocal. per hunc equum viridem, intelligit floridam juven-
tutem, virescentem pueritiam. *Per colorem viridem adolescen-*
tia denotatur; hanc Diabolus, hostis humani generis, omnibus
viribus adlaborat in malum, in pravas actiones, in pessimas con-
suetudines, introducere, quasi certus; si homo à pueritia sese
immergat vitiis, iisdem vitiis in canam senectutem fit laboratu-
rus. Ita facer textus: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum*

senuerit, non recedet ab eà. Prov. 22. Clarissimè Job. cap. 20. *Textus Sacre*
Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentie ejus, & cum eo in pul- *Scriptura.*
vere dormient. Huc faciunt adagia: *Urit maturè, quod vult*
urtica manere; Quod nova testa capit, inveterata sapit; Cur-
vum se prabet, quod in uncum crescere debet: Asserunt hoc

ipsum S. Patres: *Qui à primæva ætate Sathana est factus man-* *Patres.*
cipium, non valet effugere, nisi à valentiori potentia liber fa-
ctus sit, scribit Simon à Cassia in cap. 9. Marci. *Difficulter* *Simon à*
eradi- *Cassia.*

- S. Hieronymus*, eraditur, quod rudes animi inbiberunt, habet S. Hieronymus Pravitatum consuetudines ad mortem perdurant; tenent pravitates consuetudines, quem semel ceperint, atque quotidie duriores fiunt.
- S. Gregorius*, istunt, & non nisi cum peccatoris vita, finiuntur, docet S. Gregorius. Rarò videmus quem benè mori, qui malè vixerit, videtur adolescens, qui aetatis suæ flori confusus, sequitur peccatorum licentiam. Hugo Cardin. in Pl. 89. Sicut fructus non invenitur in arbore, in quo flos prius non apparuit, sic in senectute bona rem legitimum consequi non poterit, qui in adolescentia disciplina alicujus exercitatione non laboravit, docet S. Cyprianus de 12. Abus. Imploratà S. Spiritus gratià, desuper Conceptio dabo.

CONCEPTUS I.

Confirmatio, Gratulabundi deferunt Apostoli Salvatori nostro: *Etsi Dæmonia subsiciuntur nobis*; accidit nunc quendam Patrem filium suum à Dæmonio obsessum S. Apostolis attulisse, supplicat hanc adjectà, ab iniquo hospite liberare dignarentur; omnes diligentiam, vim, & conatum, adhibent discipuli, ad destruc-tionem laborant, Dæmonium abigere, ex obsessio ejicere conantur, unde tristis Pater Magistrum Christum ipsemet accersit, conatum narrat: *Dixi Discipulis tuis ut ejicerent, & non potuerunt*. Marci c. 9. Dicit facer textus Matth. 10. *Coram duodecim Discipulis suis, dedit eis potestatem Spirituum immundorum, ut ejicerent eos*. Quomodo ergò hoc Dæmonium ejicere non valuerunt? obstaculum, impedimentum, impossibilitatem intelligere licet ex verbis Christi interrogantis: *Quomodo temporis est, ex quo ei hoc accidit? & ille ait: ab infantia, & frequenter eum in ignem, & in aquam misi, ut eum perderem*. Ab infantia, à primis annis, & à pueritia hic filius obsessus erat, & hoc erat obstaculum, & impedimentum, quo minus hic filius obsessus, gratià ordinarià, sed gratià extraordinarià, per ipsam Dei omnipotentiam curari potuerit. Dæmonium sunt pravitates

consuetudines, peccaminosi, ac pessimi mores, ab infantia, à puero, tenera aetate si talibus immersus, & imbutus fuerit, via ordinaria vix, ac difficulter, ab his male assuetis curabitur; per potentiam divinam solum corrigibilis videtur. Malitiam, ac scelera, quae puer didicit, vir ac senex practicabit. Huc faciunt verba Simonis à Cassia in cap. 9. Marci: *Qui à primæva aetate Sathane factus est mancipium, non valet effugere nisi à valentiori potentia liber factus sit.*

CONCEPTUS II.

Stupendum est, quantis favoribus divina bonitas, populum Judæorum, in itinere ad terram promissam, ac electam, dignata sit. Regius Psalmista in compendio enarrat Psalmo 104. *Eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus, expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem. Petierunt, & venit coturnix; & pane cæli saturavit eos; dirupit petram, & fluxerunt aqua, abierunt in siccis flumina &c. & eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in letitia, & dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt.* Mediis his in felicitatibus, in Ægyptum reverti cogitant filii Israël: *Revertamur in Ægyptum.* Suavissimo pane, cœlesti manna nutriti, allia, & cepæ, ac porri appetitum habent, *veniunt nobis in mentem cucumeres, & pepones, allia, & cepæ, & porri.* Numer. cap. 11. Manna erat cibus suavissimus, ac dulcissimus, allium, & cepæ, & porri, herbæ sunt foetidae, ac insipidae, naturæ resistentes, & tamen Judaicus populus, suavi pane, & edulio cœlesti, cum coturnicibus nutritus, præ his exquisitis dapibus, has foetidas herbas appetit ac desiderat; quæ hujus appetitûs causa? causam esse advertit S. Chryso- stomus hom. 7. in 1. ad Corinth. *Quia Judæi in Ægypto nati, educati, hinc Ægyptum appetunt præ patria, & terra illa electa, cucumeribus, peponibus, cepis & porris à puero, ab infantia nutriti sunt, hinc licet sapidissimo manna refecti, præ hoc foetentes herbas desiderant.* Ita subscribit Hugo Cardin. *Judæi repudiabant*

(G) 3

bant

bant manna dulcissimum, quia nutriti erant de allio Ægypti.
 Et S. Chrysostomus modò citatus habet: *Judei cum manna haberent, allium querebant, & cum libertate fruerentur, res dabantur servitutis, & Ægyptum sæpe numero expetebant, propter consuetudinem, adeò violenta res. &c.* Fœtiditas, & natura aversas illas herbas, allium, cepas & porrum, meritò fœtiditatis, ac malis moribus consuetudinibusque comparavero; si fœtidis, iniquis herbis, à puero quis innutritus fuerit, autim cere, sua vita, etiam senex appetet, desiderabit, edet, gustabit. Communiter enim malus puer, pessimus vir ac senex. Quis fuerit homo superioris ætatis, talis erit & sequentis.

CONCEPTUS III.

Isaias cap. 19. inquit: *Et non erit Ægypto opus, quòd caput & caudam.* Mirabilis locutio: caput cum cauda connectit, caput cum collo, collum cum corpore, & sic descendit unum membrum cum altero in corpore humano connectimus, non verò immediatè caput cum cauda connectimus. Inspicimus: quid ergò mysterii detegere vult Propheta, quòd immediatè caput cum cauda connectat? *Et non erit Ægypto opus, quòd faciat caput & caudam.* Explico mysterium dicens: Caput est corporis initium, ac principium, cauda vero est finis; Caput ergò cum cauda, initium cum fine connectit. Propheta, indicaturus; quale initium, principium vite humane fuerit, talis erit & finis, & exitus. Initium, principium vite humanæ est pueritia, ætas prima, finis & exitus est senectus: Initium, caput, pueritia si fuerit corrupta, & pervertita, talis erit & cauda, finis, senectusque. Audiatur S. Cyrillus cap. 19. Isaiæ: *Nec enim egregia capta juveniliter aggressus, hoc enim est principium & caput; nec in optatissimum finem occurrent, quæ geruntur, hæc enim est cauda & finis.* Malus puer, pessimus vir,

CONCEPTUS IV.

Hoc indicare voluit Isaias cap. 65. *Puer centum annorum morietur.* Si centum annorum, quomodo adhuc puer? Respondet S. Gregorius lib. 17. moral. c. 14. *Quia diu quidem vixit, sed etatis sue tempora vanitate consumpsit, puer est, quia adhuc mente parvulus est, serviens vitiis, sequens passiones suas.* Et Philo lib. de Abraham habet: *Eos, qui longam etatem sine probitate vixerunt, longevos pueros dici convenit, ut qui nunquam disciplinas attigerunt canicie dignas.* Optimè Favorinus de senectute ex mente Pithagoræ & Platonis: *Senectutem non esse juxta finem vitæ, quàm juxta principium benè beateque vivendi.* Et Seneca ep. 2. habet: *Eadem volumus senes, quæ volumus pueros.* Puer ergò malus, centum annorum senex, talis morietur. *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient.* Job. 20.

CONCEPTUS V.

De filiis Heli jam viris & adultis narrat sacer textus 1. Regum cap. 2. quòd res pessimas agerent, in specie: *Detrahebant homines à Sacrificio Domini, dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium tabernaculi.* Causalem tantæ malitiæ indicat Sacra Scriptura capite citato: *Erat ergò peccatum puerosum grande nimis coram Domino.* Filii Heli, ut pueri, jam pessimi erant, tales sunt, & permanent facti viri, & adulti; optimè Seneca: *Eadem volumus senes, quæ volumus pueros.* Nefanda refert facta sacer codex de Rege Manasse 3. Regum 33. *Fecit autem malum coram Domino juxta abominationes gentium, quas subvertit Dominus coram filiis Israel, instauravit excelsa, quæ demolitus fuerat Ezechias, Pater ejus, construxitque aras Baalaim, & fecit lucos, & adoravit omnem malitiam cæli, & coluit*

coluit eam. &c. Observabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inserviebat, habebat secum Magos, & Incantatore multaque mala operatus coram Domino, ut irritaret eum. Omnium horum malorum radicem indicat Scriptura, pessimum fuisse Manassis pueritiam, & juventutem: Duodecim erat annorum Manasses, cum regnare cepisset, & quinquaginta annis regnavit. Pernitiosa pueritia, pessimorum virorum nidus est.

Epilogus.

Hortor ergo omnes, quorum cura juvenus concredita est, verbis Eccles. cap. 30. qua memoria retinere studebunt: *Filius remissus, evadet præceps. Lacta filium tuum, & parentem faciet, lude cum illo, & contristabit te, non corrides illi, non condoleas, & in novissimis obstupescant dentes tui; non desis potestatem in juventute, & ne despicias cogitatus illius. Corde cervicem ejus in juventute, & runde latera ejus, dum in potestate est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor in senectute. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.*

Amen.

